SPECIMEN INAUGURALE DE EXANTHEMATIS FEBRIUM ACUTARUM...

Johannes Ludwig Korte



VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

IOH. THEODORO ELLER

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS AVLICIS ET SANITATIS CVSTODIA VT ET REGIORVM EXERCITVVM MEDICO PRIMARIO

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS ET COLLEGII MEDICO CHIRVRGICI DIRECTORI COLLEGII MEDICORVM SVPERIORIS DECANO AC SANITATIS COLLEGII SODALI

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

THEODORO SPROEGEL

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE MEDICO AVLICO THERAPIAE IN COLLEGIO MEDICO CHIRVRGICO BEROLINENSI PROFESSORI

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS ET COLLEGII MEDICO CHIRVRGICI SODALI

HOC

QVALECVNQVE ACADEMICVM SPECIMEN

IN PERPETVÆ OBSERVANTIÆ MONVMENTVM CONSECRAT

AC SE SVAQVE DE MELIORI COMMENDAT

AVCTOR.



PROOEMIVM.



Cum ad implendas leges academicas ſpecimen aliquod inaugurale exhibendum ſit, hoc, quidquid eſt pagellarum, Benevolo atque erudito Lectori trado. Monenda autem quædam ſunt, antequam ipſam tractationem adgrediar. Primum quidem quod thema hujus diſſertationis attinet, antiquum quis illud eſſe, atque ad nauſeam usque jam exſtare, exiſtimet; neque negabo, innumera fere de Venæ ſectione in febribus acutis, malignis, exanthematicis, &c. apud auctores reperiri: multa autem eſt eorum contentio, & in varias ſcinduntur partes, ita ut iſthmum perfodere videremur, ſi ſingulas quorumlibet abſtruſas partim & monſtroſas opiniones in

ſcenam revocare vellemus. Non inquiram hic in rationes tanti in ſchola practicorum diſſenſus, dicam tamen, quod res eſt; perpaucos nimirum adhuc dum dari, qui antiquas illas & præconceptas hac in re opiniones deſeruerint. Non immerito igitur inquirendum eſſe putavi, an certius quid ſtatui, atque ex ſolidis principiis erui poſſit. Licet autem quamplurima, quæ in hac diſſertatione exhibentur, ad totam fere febrium acutarum cohortem in genere adplicari poſſint; ſpecialius tamen de exanthematicis, & ſpecialiſſime, de unico hoc earum ſtatu ſive ſymptomate, ſi recedunt, vel retrogrediuntur, agere libuit, ne thematis amplitudo præſcriptas ſpeciminis limites excederet. Non abſolutam vero quis ex omni parte hic expectet tractationem, ſed σκιαγραφίαν potius ac primas lineas: multa etenim adhuc hac de re dicenda reſtant, quæque alio tempore, bono cum Deo, uberius exhibenda erunt. Præſens enim rerum mearum conditio, & cum ſpatium temporis habeam anguſtum non permiſit, ut omnia ſecundum rei dignitatem evoluta tradam. Cæterum quod principia attinet, quibus hic uſus ſum, ea non nova, ſed nota & in ſyſtematibus ſaniorum Medicinæ ſcriptorum

ob-

obvia ſunt. Conſultius hinc eſſe duxi accuratiori eorum demonſtrationi ſuperſedere, ne millies dicta repetam: ii præterea, qui in re medica plane hoſpites non ſunt, facile cognoſcent, quid aliis hæc debeat diſſertatio, quid non. Faxit Deus T. O. M. ut omnia cedant, in ſui ipſius gloriam, noſtrisque conatibus adſiſtat.

CONTENTA PARAGRAPHORVM.

§. I. Definitio febrium exanthematicarum. §. II. Diſtinctiones. §. III. Materia exanthematum. §. IV. Sanguinis triplex ſtatus ratione quantitatis. §. V. Effectus, ab hiſce ſtatibus pendentes, & ſpeciatim plethoræ. §. VI. Orgaſmum plethoræ æqualem eſſe ratione effectus a quantitate pendentis. §. VII. In febribus exanthematicis adeſſe orgaſmum. §. VIII. Applicatio triplicis ſanguinis ſtatus ad has febres. §. IX. Subjecta, juſta ſanguinis quantitate prædita, ſi in has febres incidunt, effectus plethoræ monſtrare. §. X. In omnibus E. febribus exanthem. adeſſe plethoram. §. XI. Se- & excretiones E. rite non ſuccedere. §. XII. Reſolutionem maſſæ ſanguineæ in his febribus adeſſe. §. XIII. Differentia Symptomatum ſecundum triplicem ſanguinis ſtatum. §. XIV. Exanthemata continere materiam febrilem. §. XV. Effectus, ſi hæc materia non eliminatur. §. XVI. Eosdem effectus adeſſe, ſi exanthemata retrogrediuntur. §. XVII. Cauſam retrogreſſionis eſſe plethoram. §. XIII. Indicationes formandæ. §. XIX. Indicatum, nimirum V. S. Reliqui Paragraphi continent remotionem quorundam dubiorum & generalem applicationem practicam.

§. I.

§. I.

FEbres exanthematicas eas ex genere acutarum vocamus, in quibus materia quædam morbosa, ex ipsa sanguinis & humorum massa, ad peripheriam corporis sub varia forma expellitur ibique in conspectum venit.

§. II.

Variam hæ febres admittunt divisionem, quam vero, cum e re nostra non sit omittimus. Notissimæ autem earum sunt: pestis, febris petechialis, catarrhalis maligna, quæ sæpissime exanthematis stipata est, variolæ, morbilli, febris purpurata, scarlatina &c. Aliæ febrium acutarum species, quæ diversas a prioribus cutaneas sic dictas efflorescentias exhibent, omni jure ad eundem censum referuntur. Distinctio autem harum febrium, quatenus a figura & similitudine exanthematum desumitur, realem differentiam non constituit, & in praxi ipsa sæpius confusioni ansam præbere potest; complures enim eo induxit, ut in quibusdam febribus exanthematicis complicationem accusarent, quæ tamen neutiquam adfuerit. Exemplo sit febris puerperarum lochialis, tantum non semper purpura stipata, ubi multi complicationem adesse credunt, cum tamen purpura tanquam symptoma morbi consideranda veniat, utpote cujus fomes sub ipso motu febrili in sanguine & humoribus sporadice producitur, quodque ex notionibus symptomatis & complicationis facile probari poterit. Et sic fere de reliquis omnibus, quæ proprio nondum insigniuntur nomine, judicandum. Non equidem negari potest, realem

quan-

quandam, omnibus hisce febrium speciebus, intercedere differentiam, quam vel diversus earum typus satis indicat, eamque amplissimi in praxi usus esse; eam tamen a sola exanthematum figura haud accurate desumtam esse, quilibet facile perspicere potest, si vel hoc solum animo contemplari vult, unam atque eandem speciem, varia differentisque figuræ admittere exanthemata: hæc enim a subjecto & ipsa materia determinantur. Sic e. gr. catarrhalem, purpura æque ac petechiæ, imo quandoquidem utrumque simul comitantur. Reliquæ exanthematum febrilium divisiones, ubi ratione eventus in critica & symptomatica, benigna & maligna, &c. dividuntur, cum ad scopum præsentem parum faciant, prolixius allegandæ non sunt. Cæterum autem notamus, eas, de quibus hic sermo est, febres tantum non semper malignitatem habere comitem, ideoque etiam populari potissimum grassatione sese exserere.

§. III.

Priusquam autem ad ipsam Therapevticam thematis tractationem accedam, ante omnia generaliores quædam huc facientes notiones atque propositiones evolvendæ erunt, quibus therapia hæc specialissima tanquam principiis suis superstrui possit. *Materia* igitur omnium *exanthematum in genere* est aliquid, quod propter crassiorem suam consistentiam minima vasa cutanea transire non potest; sed ibidem inhæret, ac postea, vel sensim dissipari, &, superato morbo, sub forma squamularum decidere, vel in aliis, ut peste & variolis, in pus abire solet. *conf. Illustr. quondam Boerhaavii Aphorism. de cognoscend. & curand. morb. aphor. 723.* Non opus autem esse videtur, ut specia-

lior hujus materiæ ſive miaſmatis febrilis ſubjungatur diſquiſitio: multa equidem auctoribus intercedit contentio, an alcalinæ, vel acidæ, vel fermenteſcentis & ſi quæ ſupereſt, ſit indolis, cujuscunque vero demum ſit, hic loci perinde erit, parum enim rei præſenti lucis adferre poteſt.

§. IV.

Cum igitur *minera* febrium exanthematicarum in ipſa *ſanguinis* & *humorum* maſſa quærenda ſit, ſponte ſequitur, hujus craſin practico potiſſimum reſpiciendam eſſe. Non excluduntur hic ſolida & eorum motus; ea autem a fluidis inſigniter adfici, motumque alterari poſſe, nemo eſt, qui neget, & ex ſequentibus ulterius patebit, in caſſum is quoque laboraret, qui motibus corrigendis operam navare vellet, ſepoſito ad fluida & materialia reſpectu. *Sanguis* autem in univerſum duplicem admittit conſiderationem, *quantitatis* nempe & *qualitatis*. Si ejus *quantitas* in quovis ſubjecto reſpicitur, *triplicem* deprehendimus ſtatum poſſibilem: adeſt enim *quantitas* vel *juſta*, vel *major*, quam par eſt, vel *minor*. *Juſtam* quantitatem eam vocamus, ſi tantum adeſt, quantum ad rite & ſine impedimento perficienda ea, quibus ſanguis deſtinatus eſt, ſufficit. Sic facile judicari poteſt, quid per quantitatem juſto minorem & majorem ſive plethoram intelligendum ſit. Juſta autem ſanguinis quantitas, licet a priori accurate determinari haud poſſit, a poſteriori tamen ex effectibus & actionibus corporis phyſiologicis, ejus ſtatus in quolibet ſubjecto medicum latere non poteſt. Alteram vero *qualitatis* nimirum conſiderationem hic ſeponam, & in ſequentibus ea, quæ ad rem facient, adducam.

§. V.

§. V.

Quantitas autem sanguinis, cum in quovis homine triplex esse possit, *effectus* hinc etiam præstabit diversos & secundum hanc divisionem dijudicandos. Hicquidem effectus solum quantitatis majoris explicandi veniunt. *Effectus* igitur a *plethora* oriundi sunt: *Extensio major* vasorum atque cordis, hinc reactio eorum in sanguinem major. Cum autem omnia corpora, elasticitate prædita, eandem amittant, vel ea saltem minor fiat, si diu & ultra gradum expanduntur, etiam *vasorum robur* per plethoram debilitatur, ipseque *circulus sanguinis* fit *debilior* & tardior, quin imo ipsa ejus crasis alteratur & spissitudo inducitur. Si vero æquilibrium solidorum & fluidorum hoc modo turbatum vasorumque elasticitas labefactata est, sequitur hinc, nec *se-* nec *excretiones* rite procedere posse: ad has enim peragendas debitam vasorum elasticitatem, cum moderato motu, & justa humorum crasi requiri, ex physiologicis satis compertum est. Accedit, quod minima illa vascula & nervi, quae latera majorum copiosissime permeant, per hanc expansionem comprimantur, imo liquido suo plane orbari possint; hinc iterum contractio vasorum in tantum impeditior redditur, in quantum ea ab influxu liquidi nervei dependet. Tacemus hic reliquos, postea partim allegandos, & ex hisce deducendos plethoræ effectus. Qui autem ulteriora desiderat, adeat *Celeberr. Hambergeri Dissert. de V. S. quatenus motum sanguinis mutat, it. Boerhaav. Aphorism. 39. sqq.* Cæterum cum plethoræ dentur gradus eaque major vel minor esse possit, etiam hi ejus effectus hosce sequentur gradus ac pariter vel majores vel minores erunt.

§. VI.

Sanguinem elaſticitate gaudere; hinc expandi poſſe, nemo eſt, qui neget. Si igitur ponatur talis ſanguis, in expanſione ſive rarefactione & motu vehementiore conſtitutus, quod *orgaſmum* ejus vocant, majus occupabit ſpatium, conſequenter ratione menſuræ æqualis erit ſanguini plethorico, atque eosdem a ſola quantitate dependentes & §. V. allegatos producet effectus, *conf. Diſſert. Hambergerian.* §. *XXIV*.

§. VII.

In omni *febre*, præſertim acutis, & ſpecialiſſime malignis & exanthematicis, adeſt *orgaſmus ſanguinis* ſive ejus *expanſio*, cum motu ſimul ſolito vehementiore conjuncta. Sanguis enim eſt elaſticus, §. VI. omnis autem fluidorum elaſticitas, accedente calore, augetur, quod ex phyſicis & chemicis quotidie obviis experimentis comprobari poteſt: in omni febre vero adeſſe calorem, vix opus eſſe cenſeo, ut hic dicatur. Porro quo ſpirituoſius fluidum, eo facilius hæc per calorem expanſio contingit, & eo major eſt. Sanguinem vero eſſe ſpirituoſum pariter multoties probatum eſt. A *poſteriori* autem, hanc in *febribus ſanguinis expanſionem* effectus & ſymptomata ſat clare docent; quin imo ipſa febres acutas & malignas curandi methodus eam commonſtrat: refrigerantia enim, ſanguinem coagulantia, antorgaſtica &c. optimo cum effectu propinantur. Acida, quæ certe ſanguinem fuſum & expanſum coagulant, & in minus ſpatium cogunt, exemplo hic eſſe poſſunt: ipſum enim fortiſſimum illud acidum oleum vitrioli a quibuſdam non niſi hoc ſcopo porrigitur. Simul autem in hiſce febribus præſertim ma-

lignis

lignis adesse fusionem seu resolutionem massæ sanguineæ, ex sectionibus cadaverum iis demortuorum adparet, in quibus nempe fluidissimus reperitur, omneque coagulum respuens. *conf. Illustr. FRID. HOFFMANNI Medicin. rational. systema Tom. III. Sect. I. cap. XII. §. IX. & ibid. allegatum Wepferum in Histor. apoplecticor.*

§. VIII.

Cum Sanguinis quantitatis triplex in universum detur status; §. IV. hi status vero diversas in corpore producant mutationes; §. V. Sequitur, eorum considerationem in morbis quibuscunque apprime esse necessariam. Totus enim morbus sæpius differt, ac diversis incedit symptomatibus, prouti subjectum in uno alterove horum statuum constitutum est. *Applicanda* igitur erit hæc consideratio etiam ad *febres acutas exanthematicas.* Primo hic quidem præsuppono, *perpauca* dari subjecta, quæ *minore*, quam par est, sanguinis quantitate prædita sunt. Veritas hujus asserti, si a priori demonstrari nequit, ex experientia satis constabit. Si enim excipias, diuturna fame, cana senectute, & gravioribus quibusdam atque chronicis morbis confectos, in reliquis certe deficiens quantitas accusari haud poterit. Neque etiam omnes senes, & chronicis morbis adfecti, ideo defectu sanguinis laborare, dici possunt, cum quamplurimis eorum Venæ sectio usitata, ad ultimum usque vitæ halitum continuata, optime conducat. Explosa igitur diu jam est opinio ista, quæ Helmontii temporibus maxime vigebat, & senibus sanguinis missionem prohibet. Ponamus autem, adesse notabilem numerum defectu sangui-

nis laborantium, experientia tamen pariter testis est, hæc subjecta rarissime & vix unquam in febres acutas exanthematicas incidere; id quod accuratas morborum historias perlustrantibus ignotum esse non potest. Vix enim allegandus erit casus, in quo homines, senio vel graviori morbo ita confecti, ut suspicionem minoris, quam par est sanguinis quantitatis merito incurrerent, his febribus correpti legantur. Neque objectio, quod febres epidemicæ & pestilentiales, ordinarie famem sequantur, vel cum annonæ cariate conjunctæ sint, ullius momenti hic esse potest. Non enim exinde sequitur, quod sanguinis quantitas imminuatur: quia homines ordinariam & solitam panis quotidiani quantitatem non comedunt; cum ejusmodi temporibus quilibet aliis rebus, carnibus nimirum, piscibus, lacte, fructibus variis, &c. famem explere studeat, quæ vero omnia ad sanguinem ingenerandum, per suam naturam aptissima sunt, licet præter consuetudinem vel animalium mortuorum cadavera devorentur. Præterea ex historiis notissimum est, epidemicos morbos, rarissime & vix unquam annonæ difficultatem concomitari, sed eandem sequi, & tunc temporis stragem suam edere, cum ipsa fames cessaverit, & vilior annona adsit. Cæterum febres hæc exanthematicæ non facile aliis morbis superveniunt. *Vid. Illustr. FRID. HOFFMANNI Med. rat. systém. Tom. IV. Sect. I. cap. X. Obs. I. de febre maligna petechizante epidemica.* Hinc etiam largiores sanguinis missiones, præservationis gratia tempore grassationis institutæ, has febres tam mirifice a corpore arcent. ibid. cap. XI. §. VI.

§. IX.

§. IX.

Si *subjecta justa sanguinis quantitate prædita*, incidunt in has febres, aderit orgasmus sive expansio massæ sanguineæ: §. VIII. Cum autem expansus sanguis æquales cum plethora producat effectus: §. VI. etiam hic iidem aderunt §. V. allegati. Si vero plethora jam antea adfuerit, & expansio hæc in febribus hisce accedat, majores erunt effectus, & vehementiora monstrabunt symtomata; causa enim aucta, augentur & effectus.

§. X.

Ex iis igitur, quæ §§is VII. VIII. IX. dicta sunt, facile concludi potest, in *omnibus febribus exanthematicis* semper adesse *plethoram*, vel, si mavis, *orgasmum*, ratione effectuum plethoræ æqualem: Si quis autem causam hujus expansionis in alia re, atque in aucto circulo sanguinis, & inde inducto calore quærere vellet, hoc ei lubenter largiar: effectus enim expansionis semper aderit, a quacunque demum causa inductus fuerit. Neque negari potest, omnia hæc insigniter augeri, si adsumatur, materiam febrilem sive miasma, in epidemicis præsertim, subtilis, fermentescentis seu putrescentis, consequenter elasticæ esse indolis, *vid. HOFFMANN. loc. superius citat.*

§. XI.

Cum ad se- & excretiones in corpore nostro rite peragendas requiratur moderatus motus sanguinis, & debita vasorum elasticitas, §. V. sponte sequitur, in his febribus neque *se- neque excretiones* legitime procedere posse, dum utrumque hoc requisitum deest. In nulla

hin

hinc febre salutaris expectanda excretio, durante orgasmo, sed ex constanti omnium medicorum observatione, omnes crises præcedere debet placidior sanguinis motus, quem insignis alteratio pulsus & reliquorum symptomatum satis indicat. Sic in variolis circa quartum, eruptionis nempe diem, cessat pulsus febrilis, & reliqua prægressa symptomata, si non plane desinant, notabiliter tamen minuuntur. Quinimo in ipsis intermittentibus nulla sequitur sudoris excretio, nisi remittente æstu, & alterato tono ac pulsu. Ad excretiones autem humorum inutilium requiritur, ut materia excernenda prius a reliqua massa separetur; Sed & hanc secretionem in turbulento ejusmodi circuli humorum statu, perfecte locum non habere, quilibet facile perspicere potest. Quo major igitur orgasmus sive plethora in febribus acutis exanthematicis adest, eo impeditior erit, se- & excretio materiæ morbosæ. Hinc ii, qui antea jam fuerunt insigniter plethorici, semper majus periculum tempore epidemiæ incurrunt, & tantum non semper, si corripiuntur, succumbunt, nisi citissime summoveatur plethora. Hinc porro transpiratio & reliquæ excretiones in his morbis plane suppressæ, certissimum semper indicium, præsentis insignis expansionis, ast pessimum simul præsagium exhibent.

§. XII.

Alia autem adhuc occurrit caussa, eaque specialior, quæ impedimentum est, quod se- & excretiones in malignis præsertim febribus rite procedere nequeant, *fusio* nimirum & *resolutio* ipsius massæ sanguineæ. Per sangui-

nem

nem vero fusum & resolutum intelligimus, ejus cum sero, cui globuli sanguinei, stricte dicti, alias innatant, intimiorem mixtionem, ita ut post ejus missionem, serum non separetur, & reliquae massæ ut alias supernatet. Hanc fusionem in morbis malignis adesse §. *VII. ex ILLUSTR. HOFFMANNO & WEPFERO jam dictum est.* Sanguis autem sero commixtus spissiorem efficit massam, quam quæ capillaria excretoria vasa pertransire possit: neque serum in hoc statu ab illa separatur. Excretiones ergo sudoris, per quas febris solvi debebat, necessario supprimuntur. Egregie cæterum hæc massæ sanguineæ fusio illustratur per effectum opii, quem præstat in corpore animali; quod nimirum pariter fundendo & resolvendo sanguinem agit, & non, ut vulgo creditur, inspissando. Experimento hoc cum cane vivo instituendo comprobari potest, cui si quotidie per aliquod tempus opium porrigitur, quod in jusculo commode fieri potest, sanguis pariter ac in peste & aliis morbis malignis funditur. Opitulari videtur hoc experimentum hypothesi istæ, quam *D. GODOFR. HELDIVS* de origine pestis apud Turcas proposuit, de qua *vid. EPHEMER. Natur Curiosor. Centur. VII. observ. 63.* ubi pestem incunabula sumere ex Maslach Turcarum sive Opio statuit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, redeundum est ad propositum.

§. XIII.

Cum igitur se- & excretiones in his febribus rite procedere nequeant, §. XI. & XII. & causa hujus impedimenti in ipsa humorum consistentia & quantitate,

atque inde inducta fibrarum solidarum impotentia quærenda sit, ibid. & §. V. sequitur & hunc effectum augeri, si augebitur causa, & contra: sive ut clarius loquar, prout orgasmus & resolutio sanguinis major vel minor erit, etiam se- & excretiones, quin imo ipsa symptomata adparebunt. Sic in ipsa peste & omnibus reliquis febribus exanthematicis quosdam videmus, in quibus morbus mitius sese gerit & sæpius etiam sine medicamentis salutariter judicatur; eos nimirum, qui justa gaudent sanguiuis quantitate, in quibus igitur tanta expansio oriri haud potest, quæ tonum ita debilitet, ut ad excretiones plane ineptus fiat. Alios videmus, in quibus nulla adparent exanthemata, & hos quidem jam antea insigniter fuisse plethoricos §. XI. jam dictum est. Cæterum autem & hoc quoque tenendum; orgasmum sanguinis non semper ab initio morbi adesse tam magnum, prouti superius descriptus est; sed eundem apud permultos in ipso statu demum ad eum pervenire gradum, atque efficere, ut materia morbosa excerni nequeat. Multi enim dantur, in quibus ab initio morbus mitissime sese gerit, & medicum ita decipit, ut vix malignitatis suspicionem concipere possit; post paucos vero dies, repente incrementa sumit, ægrumque sub optima sæpius spe, subito jugulat. Sed & hos antea jam fuisse plethoricos, ex dictis colligi potest. Quamvis enim non negavero, ipsam materiam malignam pariter, ac sanguinis qualitatem, hic symbola sua conferre: si enim plethorici, simul spissitudine vel alio qualitatis vitio laborantes, corripiuntur, semper gravius decumbunt; notum

ta-

tamen eſt, ipſam materiam malignam inſigniter augeri, prout ipſius ſanguinis motus & expanſio augentur. In omnibus hinc morbis exanthematicis, exanthemata per regimen juſto calidius, copioſiora producuntur; quod in variolis optime & ſæpiſſime videre licet, nec non in purpura puerperarum, ubi ægroti ſæpius ab amicis & adſtantibus, ſub ipſo regimine ejusmodi calido & coacto, ſuffocantur. Cum e contrario ii, qui moderato regimine utuntur, nunquam exanthemata tanta copia progignant, & periculo ſemper minori expoſiti ſint.

§. XIV.

Exanthemata in morbis hiſce continere ipſam *materiam morboſam* & malignam, ſi ex nulla re, ex hoc clarum evadit, quod, ſimul ac receſſerint, peſſima ſtatim ſymptomata, imo ipſa mors preſſo pede ſequantur. Quamvis enim ea rariſſime & vix unquam, tanquam vere critica adpareant; hoc tamen certum eſt, ea, licet etiam peſſima quævis ſymptomata habeant conjuncta, generatim tamen loquendo, ſemper aliquid critici monſtrare: hocque vel ex eo concludere licet, quod decurſus morbi ſemper fauſtus eſſe ſoleat, ſi juſto tempore erumpant & conſtanter adſint. Sic ipſa peſtis ſalutariter judicatur, ſi bubones ſtatim altero vel tertio die adpareant, & ad ſuppurationem perveniant. Ea contra ſubjecta, quæ tempore epidemiæ corripiuntur, nulla autem progignunt exanthemata, certe etiam ſuccumbunt. Hæc autem phænomena ſat clare indicant, quod materia morboſa per exanthemata ipſa e corpore eliminetur. Hinc etiam judicare licet, ea non ſemper ut rem periculi

pleniſſimam, & omni cura præcavendam conſideranda eſſe; ſed potius, ſi rite procedant, boni quid præ ſe ferre. Exemplo eſſe poteſt tota exanthematum cohors; ipſi enim abſceſſus ſive bubones peſtilentiales, petechiæ, purpura febrilis, variolæ, morbilli, &c. quæ ſimulatq; adparent, morbum quidem non uno actu tollunt: attamen inſigniter mitigant. Practice autem hic cavendum, ne ad alterum delabatur extremum, atque, ſub prætextu malignitatis expellendæ & avertendæ, regimine nimis calido, vel medicamentis calidis, bezoardicis, cordialibus, & quæ ſunt ejuſmodi farinæ plura, hic uſurpari vulgo ſolita, ipſa materia morboſa augeatur, ægerque ſic occidatur. Objici hic quidem poſſet, quod permulti his febribus moriantur, præſentibus ac perſiſtentibus exanthematis; imo quod apud permultos ipſa ſymptomata augeantur cum & ſub eruptione eorum: quod igitur materia morboſa per ea non e corpore eliminetur, ſed ea potius tanquam exitiale ſymptoma conſideranda ſint. Et hoc quidem negari non poteſt, permultos cum ipſis exanthematibus e medio tolli; cauſa autem certe, vel in ipſius materiæ malignitate, quam in peſte carbunculi ſic dicti peſtilentiales; in petechiis & variolis, maculæ nigræ, ſatis indicant, vel in ejus copia quærenda erit. Hinc quo plura exanthemata, eo pejor prognoſis: juſta enim oritur ſuſpicio, adhuc multum ſupereſſe in maſſa humorum, quod ad peripheriam nondum extruſum eſt. Ut taceam reliquas, quæ hic mortis ſubeſſe poſſunt, cauſas, per individua ipſa determinandas. Concludere igitur non licet, materiam malignam hic non eſſe expulſam, cum id

non

non satis factum sit, & æger ex ejus malignitate vel alia causa moriatur.

§. XV.

Si materia maligna, §. XIV. per ordinaria corporis emunctoria, & primario per sudorem, non eliminatur, sed diutius, quam par est, retinetur, ac consequenter augetur, necessario in *interioribus viscerum* vasis capillaribus fiet *restagnatio*, quam, nisi citissime opem tuleris, excipit inflammatio, gangræna, sphacelus, mors. Neque aliter fieri potest, cum enim in hoc casu, per durantem & supra modum auctam vasorum expansionem, tonus eorum ita labefactetur, ut ultimo omnem fere resistentiam amittant, præsertim in minimis vasculis; hæc demum nimia humorum copia infarciuntur, qui ipsi humores, cum ad putredinem jam proniores sint, etiam eo certius ad eandem ruunt, & supra nominatos effectus progignunt. Determinantur autem hi effectus & nomen partim sortiuntur ab ipsis partibus internis, ad quas materia defertur. Hinc si ad cerebrum ruit, oriuntur coma, lethargus, apoplexia, convulsiones, phrenitis, &c. si ad collum defertur, anginæ: si pulmones vel diaphragma ferit, efficit catarrhos suffocativos, asthmata convulsiva, &c. si in cavitatem abdominis delabitur, oriuntur sæpius diarrhoeæ, per quas nonunquam, nisi malignior sit materia & corpus valde plethoricum, morbus solvi potest, ast ancipiti eventu: major enim utplurimum copia, & malignior esse solet materia, quam quæ sine effectu erosionis, vel inflammationis eliminari possit, præsertim cum

hæc directio tumultuarie & impetuoſe fiat. Nimius autem forem, ſi omnes reliquos effectus hic enarrare vellem.

§. XVI.

Iidem autem effectus §. *anteced. allegati* ſequentur, ſi exanthemata jam comparuerunt & retrogrediuntur, ſive retropelluntur, nimirum ut materia maligna ad interiores & nobiliores partes feratur, ibique deleterium ſuum exſerat effectum. Hinc in hoc caſu tranſpiratio & reliquæ excretiones ſtatim ceſſare ſolent, quin ipſi priores motus febriles tolluntur; id quod pulsus ſatis prodit; excipiunt autem eoſdem novi motus, aſt eo perniciosiores, iique vel remiſſiores vel intenſiores, prouti nimirum febrem inflammatoriam, vel aliud quodcunque ſymptoma indicant. Materia vero hæc, ſi ſanguinis maſſæ iterum immiſcetur, tam celeri greſſu in putredinem ruit, ut ſæpius intra viginti & quatuor horas de vita actum ſit. Qua de re, ut exempla hic proferam, nimis longum, imo ſupervacaneum videtur, cum id quotidiana praxi ſatis ſuperque comprobetur, & inter vulgus etiam notiſſimum ſit, deſperatum eſſe hunc caſum, ſi exanthemata in acutis intropellantur vel retrogrediantur.

§. XVII.

Cum igitur in hoc ſtatu anceps ſemper luſus ſit, & citam is efflagitet opem, neceſſe erit, ſi quis rationales medicas ſibi formare velit indicationes, neque empiricum ſolum agere, ut in cauſas hujus retroceſſionis inquirat: omne enim id, quod hic moliendum, eſt, ut eas, quantum poteſt, tollat, ſi vitam in ſummum diſcrimen hic perductam

ductam conservare velit. Cum autem *modus* exanthematum retrogressionis semper consistat in *constrictione* peripheriæ corporis, & humorum versus interiora directione; sequitur, omne id causam dici posse repulsionis, quod hunc motum in corpore producere valebit. Supponit autem semper hæc humorum versus interiores partes directio, vitale vasorum robur ita debilitatum, ut exanthemata ipsa in peripheria sustinere nequeat, sive vi repellenti & vasa cutanea constringenti resistere non possit. Quamdiu enim cordis & vasorum tonus suo gaudet vigore, non facile repulsio locum habet, nisi violentioribus causis accedentibus. Hinc quamplures videmus, qui, toto corpore exanthematis optime florentibus conspersо, frigidum aërem & potum sine ulla noxa admittunt, quodque tempore grassationis variolarum vel morbillorum, in infantibus robustioribus rusticorum, & vilioris conditionis hominum non sine admiratione conspexi. Nota pariter sunt exempla militum, qui febrem castrensem exanthematicam, sub dio & tentoriis, omnibus aëris & tempestatis injuriis expositi feliciter superarunt. Tota autem hæc causarum consideratio eo redit, ut proximam earum, quæ immediate vasis robur demit, & reliquis communiter dictis repulsionis causis locum agendi concedit, intueamur. Cum enim reliquæ istæ, e. gr. vitia diætæ, regimen justo calidius vel frigidius, imo ipsæ præposteræ, quas vulgus instituit, medicationes, non in quovis subjecto eundem repulsionis effectum producant, consequenter non, nisi secundum receptivitatem in corpus agere possint: cum porro permultos videamus, quibus

bus exanthemata retrogrediantur, ſine ulla conſpicua cauſa externe accedente, ſequitur, omnino in ipſo corpore adeſſe debere aliquid, quod ipſum determinet & reliquis facultatem agendi concedat, ſive, quod vaſorum robur vitale reſiſtendi infringat. Hanc autem vaſorum impotentiam, a nimia fibrarum expanſione, quæ a liquido, quod vaſa vehunt, dependet, oriri jam dictum eſt. Liquida vero, ſi quantitatem reſpicias, aliter in vaſa agere non poſſunt, niſi per copiam premendo, diſtendendoque. Concludere ergo licet, *plethoram* ſive *orgaſmum* ſanguinis anſam præbere retroceſſioni exanthematum, vel, ſi mavis, ejus cauſam eſſe. Idem vero hoc per experientiam confirmatur. Notum enim eſt, periculum retroceſſionis nunquam majus eſſe, quam præſentibus copioſis exanthematis; hæc vero inſigniter augentur per regimen juſto calidius, majorem nimirum efficiendo orgaſmum: ſic etiam ipſa materia morboſa cum expandat ſanguinem, eorum copiam, præſertim in iis, qui jam antea fuerunt plethorici, auget, & ſic receſſioni opitulatur. Tuto igitur concludere licet, *omnia ſubjecta*, in quibus exanthemata retrogrediuntur, *plethora quantitatis* ſimul laborare; ſive antea adfuerit, ſive per motum febrilem efficiendo majorem expanſionem, ſive per ipſam denique materiam inducta fuerit. *Conf.* §. *VIII. IX. X.* Cæterum autem referri huc quoque poteſt eruptio exanthematum inordinata, ubi modo adſunt, modo recedunt, quæque res periculo ſuo non caret, & ut plurimum ſuperius §. XV. allegatos effectus poſt ſe trahit. Omnia enim quæ de cauſis retroceſſionis dicta ſunt, etiam hic applicari poterunt.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ex iis igitur, quæ §. XVII. de caufis dicta funt, formandæ nunc erunt indicationes. Primum, quod generaliter hic concludendum, quodque medico agendum, eft, ut materia maligna ex interioribus corporis partibus revocetur ad peripheriam, five; ut exanthemata reftituantur in priftinum ftatum: hoc enim facto, judicare licet, materiam iterum e maffa fanguinea fecerni & expelli; confequenter etiam ea per repulfionem inducta fymptomata ceffabunt. Quoniam autem hæc citiffime agunt, §. XV. opus etiam erit, ut indicatio fine mora impleatur, hic enim & minima temporis jactura irreparabile damnum inferre poteft. Exanthematum autem receffionis modus, cum in conftrictione peripheriæ confiftat, & hæc vaforum & cordis refiftentiam imminutam præfupponat, §. XVII. fequitur, ad eorum reproductionem hæc duo neceffario requiri, ut 1) *cordis & vaforum refiftentia* feu tonus *augeatur*, 2) ut *ftrictura* partium externarum *referentur:* fic enim priores motus febriles, qui hic ceffarunt, facile revocandi, & reftitutio in priftinum obtinenda erit.

§. XIX.

Omnia igitur remedia, ex quocunque fonte defumta, quæ ea pollent efficacia, ut §. XVIII. propofitas indicationes cito impleant, hic erunt indicata. Notum autem eft ex exemplis, ea remediorum genera, quæ ex fonte pharmacevtico hic depromi poffunt, fpem medici utplurimum fruftrari, ita ut ftatus plerumque judicetur conclamatus, fi eo devenerit, ut exanthemata retrogrediantur. Neque etiam facile concipi poteft, quomodo

hæc remedia causam mali tollere possint, tam parvo, quod hic ad medendum concessum est, temporis spatio. Cum enim causa retrocessionis sit plethora, §. XVII. & hæc ipsa vasis & cordi robur demat, sequitur, hac non imminuta, vel, orgasmo non sedato, nec vasis robur reddi posse. Imminuenda igitur erit plethora, sive orgasmus compescendus erit. Hoc vero nulla re nec citius, nec optatius, fieri poterit, quam Venæ sectione, modo justo tempore, ac debita quantitate adornetur. Si enim id, quod vasis robur demit, & plethoram efficit, per sanguinis missionem detrahitur, simul nimia fibrarum expansio tollitur, ita ut ad naturalem tonum rursus redeant; quod quidem neminem negaturum puto, nisi qui ipsam fibrarum elasticitatem simul in dubium vocare velit. Ipsa autem circuli sanguinis celeritas per ejus detractionem augetur: licet enim ad majus exinde inductum robur fibrarum non respiciamus, & eandem vim cordis & arteriarum post V. Sonem ponamus, quæ ante eam adfuit, celerior tamen evadet circulus, quia movendo detractum est. Et sic etiam in hoc casu priores motus febriles revocantur. Cum igitur retrocessio exanthematum languidæ fibrarum & cordis potentiæ innitatur, sequitur, resistentia per V. Sonem restituta, & eam ipsam restitui, consequenter sanguinis missionem hic indicari: hæc autem simul primariam istam indicationis partem, ut cito medela quæratur, optime implet.

§. XX.

Ne autem objiciatur, per V. Sonem quidem abundantiam sanguinis tolli, stricturas autem externarum partium

tium per eandem non ſolvi: cum ea potius humores a peripheria corporis ad centralia loca ducat: paullo accuratius hæc res perpendenda eſt. Concedenda nimirum erit hæc objectio, ſi ſermo eſt de iis ſubjectis, quæ minori, quam par eſt, ſanguinis quantitate prædita ſunt; ſi enim iis detrahas, neque circulus augetur, ſed imminuitur potius, neque ſtricturæ ſolvuntur: latera enim capillarium vaſorum potius collabuntur, & propius ad ſe invicem accedunt, quam par eſt. Pariter etiam concedenda eſt objectio, ſi iis ſanguis mittitur, qui ejus juſta & non expanſa quantitate gaudent. Vtrumque vero ſtatum in his febribus locum non habere, ſuperius §. VIII. IX. X. jam comprobatum eſt. In plethoricis autem V. Sonem plane contrarium edere effectum, partim ex §. XIX. patet, partim ex eo clarum fit, quod in prioribus caſibus vis vaſorum motrix imminuatur: in poſteriori vero eadem augeatur, conſequenter movendum in minima vaſcula, vi recuperata, iterum impellatur. A poſteriori autem & per experientiam millibus exemplis probari poteſt: vel tonſoribus enim notiſſimum eſt, V. Sonem in plethoricis ſemper fere excipere ſudorem, & in iis, qui impuritates lymphaticas & ſeroſas alunt, efflorefcentiam earum in cute, conſequenter expulſionem humorum ad peripheriam. Conferri hic poſſunt, quæ ad hanc rem ab *Illuſtr.* FRID. HOFFMANNO *in Med. rat. Syſt. T. III. Sect. I. c. VI. §. XV. & integro cap. IX.* adducuntur; item BOTALLVS *in libr. de Curat. per ſanguinis miſſionem.* Cæterum autem non improbamus, ſi & in hoc caſu, peracta V. Sone, pharmaceutica ſtatim remedia in ſubſidium vocentur, eo melius enim res procedet. Optima autem ex immenſa eorum

farragine erunt leniter diaphoretica ſeu diapnoica, & ſimul æqualem ſanguinis & humorum diſtributionem promoventia, quibus & analeptica jungi poſſunt; quæque omnia, pro re nata, vel in forma pulverulenta, vel liquida, propinari poſſunt. Neque ſpirituoſa plane hic abhorrenda ſunt, ut temperatiores eſſent. alexipharm, refractis & repetitis doſibus, poſt V. Sonem exhibitæ: e. gr. ex Rad. Pimpinell. Tormentill. Vincetox. Contrajerv. Leviſtic. Hba Scord. C. B. &c. cum ſpirit. Cort. Citr. extractæ, adjecta ſpiritus Tartar. vel Vitriol. aliqua parte. Sed ſupervacaneum videtur medicamentorum formulas huc transſcribere, quibus omnes practicorum libri ſcatent. Cavendum tamen a fortioribus & ſanguinem nimis commoventibus; præſertim in ſenſibilioribus & tenerioribus ſubjectis, ne majora inde enaſcantur damna.

§. XXI.

Quæſtio autem adhuc oritur non exigui certe momenti, nimirum ut determinetur quantitas ſuperflui ſanguinis, quæ plethoram vel orgasmum conſtituit, ut practice exinde judicium ferri poſſit de quantitate detrahenda. Pauca igitur tradam, quæ normam hic ſuppeditare poſſunt. Ponamus autem adeſſe in corpore L. librarum ſanguinis, qui in innumera vaſa majora & minora diſtribuitur: ponatur porro, quavis ſyſtole ventriculi cordis ſiniſtri in arteriam aortam propelli unciam unam & ſemis; diametrum vero aortæ in ſui principio æquare circiter tres pollices: ponatur denique, qualibet ſyſtole ſcrupulum unum ultra unciam unam & ſemis aortam ingredi debere; diameter igitur aortæ in hoc caſu vix

quin-

quinquagentesimam partem augeretur. Scrupulus vero iste sanguinis abundantis, si solum in triginta ramos minores, ejus circiter diametri, ac arteria radiæa est, dividi deberet; vix unica guttula quavis systole quemlibet ingrederetur, hæc vero in quot minores postea non dividenda partes? Quis igitur non videt, plethoram insignem in hoc casu accusari nondum posse? Attamen cum tota ista librarum sanguinis massa circiter sexcentis pulsibus circulum absolvat, &, qualibet vice, scrupulus unus ultra uncias unam & semis cor transeat, jam ultra libram unam & semis sanguinis plethorici aderit. Hoc igitur omnino detrahendum esset, si quis omne superfluum removere vellet. Cum autem expansio sanguinis in eo, quod idem spatium occupet, & eundem effectum exserat in latera vasorum, æqualis sit plethoræ, §. VI. etiam quantitas detrahenda, quoad mensuram fere eadem erit.

§. XXII.

Generalem igitur de quantitate cruoris detrahendi formare licet regulam: eum nunquam parva copia, sed semper in hoc casu, quam largissime fieri potest, esse evacuandum; &, si prima missio effectum non præstat, alteram, immo si opus, tertiam esse subjungendam. *vid.* BOTALLVS *in libr. de curation. per sanguin. mission.* Tantum enim abest, ut plethora per detractionem octo vel decem unciarum imminuatur, vel orgasmus compescatur; quam tamen quasi juratam quantitatem nemo facile transgreditur; ut ejusmodi V. Sonem majora potius sequantur damna, particulares nimirum sanguinis directiones sive congestiones. Abunde hoc a posteriori ex exemplis patet.

 Hinc

Hinc V. Sonem, præpoſtere in acutis & parcius adminiſtratam, ſtatim ſequuntur anginæ, phrenitides & plura alia periculoſiſſima ſymptomata; quæ vero ſtatim rurſus ceſſare ſolent, ſi largius adhuc & altera vice ſanguis educatur. Non poſſum non ſingulare teſtimonium hujus rei, quod in *Act. Berolinens. Dec. II. vol. 1. p. 33.* exſtat, totum huc transferre: *Vena antea ſecta quam deliria adſunt, iſta, eveniente ſanguinis raptu ad caput, quem molimina hæmorrhagica per nares comitantur, accerſit, cum incremento febris. Eadem vena in deliriis exſiſtentibus ſecta, patientes redire facit ad ſenſum ſanum.*

§. XXIII.

Cæterum objectiones, quæ ſuper eſſe poſſint, vix allegandæ erunt, cum quamplurimæ earum ex dictis ſatis refutari poterunt. Pertinet huc, ſi dicatur, exempla proſtare, ubi per V. Sonem exanthemata non fuerint revocata, ſed mors ſubſecuta: probari enim hic debet, eam juſto tempore & quantitate fuiſſe adornatam, ita ut effectus inflammationis vel eroſionis nondum in internis partibus adfuerit. Conſtat enim ex ſectionibus cadaverum, his morbis demortuorum, ſemper fere interiores, præſertim in abdomine, partes inflammatas & arroſas reperiri. Aliud adhuc ſuper eſt dubium, an nimirum infantibus in hoc caſu V. S. conducat? reſpondemus adfirmando: nulla enim hic ab infantia vel juventute deſumi poteſt contraindicatio, &, ſi adeſſet, præſtaret tamen, in caſu ancipiti & periculoſo, ad anceps confugere remedium, quam plane nullum adhibere. Præterea mihi ipſi noti ſunt caſus aliquot, ubi in infantibus duos annos na-

tis,

tis, in variolarum recessione, circa nonum morbi diem accidente, summo cum fructu, & præsentissimo levamine, vena fuerit secta. An in aliis infantum morbis, gallorum mos suadendus & proficuus sit, hujus loci non est, ut inquiram: in hoc casu autem certum est quam quod certissimum, nullum ad hunc usque diem tutius remedium exstare; quapropter etiam a SYDENHAMIO in morbillorum retrogressione omnibus antefertur. vid. ej. Op. omn. p. m. 248. & sqq.

§. XXIV.

Restaret jam, ut practicam adplicationem eorum, quæ in antecedentibus dicta sunt, subjungeremus; & per quaslibet febrium exanthematicarum species eundo, specialiores regulas traderemus. Cum enim omnes hæ febres, tam ratione typi, quem servare solent, quam in plurimis aliis circumstantiis a se invicem differant: utique notanda adhuc quædam forent, exemplaque atque casus, ex aliena æque ac propria observatione subjungenda: ultimum hoc autem opportuniori reservamus tempori. Quod autem ad alienas observationes, quæ passim hac de re leguntur, attinet, eas huc transferre nolui, ne præscriptas excederem limites. Vela igitur hic contraham, DEO T. O. M. immortales gratias agens, quod hucusque laboribus & studiis meis benedixerit; faxit, ut & futura mea conamina vergant in ejus gloriam, propriam salutem & proximi emolumentum.

TANTVM.

VIRO

VIRO IUVENI
PRAECLARO ET EXIMIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO

IO. LVDOVICO KORTVM


PHILOSOPH. MAGISTR.
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM

D. IO. IVNCKER

MED. PROF.

D*E venæ sectionis in febribus acutis usu & abusu proximis abhinc sæculis diu multumque Medici compugnarunt, & ea tandem conditione pacem composuerunt, vt sub initium quidem earum illam institui posse consentirent, post coctionis autem signa, quæ die tertio ordinarie adparere solent, nemo classicorum auctorum, si* BOTALLVM *excipiamus, id sanguinis emittendi genus probaret.* TV *vero,* CANDIDATE *doctissime, litem hanc compositam de integro movere &* BOTALLVM *redivivum, seu potius alterum* BELLINVM, *qui prioris sententiam ex principiis mathematicis defendere ausus est, constituere videris. Eo enim vsque venæ sectionis in febribus acutis vsum extendis, vt circa finem quoque morbi eam adhiberi posse doceas. Verum enim vero qui bene distinguit, bene docet, & qui* εὐκαιρίας *rationem habet, scripturam concordantem deprehendit. Non enim vbique & promiscue venæ sectionem instituendam judicas, sed tum demum, quando exanthemata recesserunt, & morbus fere conclamatus adparet. In tali enim statu præstat omnino remedium anceps, quam nullum adhibere, & sic aufugientem quasi naturam interpellando excitare. Anceps autem eam ob caussam voco hoc remedium, quia sine effectu instituitur in aliis, in aliis vero salutariter se commendat: & sicut sinistri eventus exempla non deficiunt; ita ad salutaris effectus confirmationem addere placet memorabilem historiam. Tres fratres, hujus academiæ quondam cives, febre maligna successiue corripiebantur, & repentina purpuræ albæ retrocessio in vitæ discrimen omnes coniiciebat. Ætate secundus erat primus, qui agonizans visus per largam venæ sectionem ad vitam revocabatur. Natu major ad eadem extrema perductus, venam autem secandam pertinaciter respuens, moriebatur. Tertius in idem vitæ periculum conjectus per sanguinis missionem servabatur. Sic vides,* CANDIDATE *clarissime, quod in eadem* TEcum *sim sententia. Ceterum gratulor* TIBI *& vere gratulor, quod studia* TVA *tale ceperint incrementum, vt dissertationem, docte a* TE *elaboratam, sine Præside defendere possis: quam ob caussam ex ordinis nostri decreto Doctoris gradum* TIBI *conferre magnopere lætor, & futura* TVA *directioni divinæ commendo.*

Vale. D. D. XXVII. Octobr. MDCCXLII.



S AC DOMINI

F R I C I

PRVSSIA ANDENBVRGICI

DN. WOLFF

POTENTVS PVBLICIS ORDINARIIS

VS

FRIMANNVS

POTENTISSIMO ATER ACADEMIÆ ET ORDINIS

DKORTVM

RADVM

HHILLIGERI, Acad. Typogr.